

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Strabonis Geographicorum [geographicorum] Lib. XVII

Strabo

Basileae, 1539

[Initiale]

urn:nbn:de:bsz:31-67095

UNdecimus Asiam incipit, quam Tanais in superioribus septentrionis partibus nascens disiungit ab Europa. Cōtinet hic liber gentes Tanaidis ortui adiacentes, orientem ac meridiem uersus, item omnes Barbaras nationes, quæ Caucasum montem accolunt, è quibus sunt Amazones, Massagetæ, Scythæ, Albani, Iberes, Bactriani, Caspij, Medi, Persæ, Armeniæ duæ usq; in Mesopotamiam. Cōplectitur etiam Troglodytas, & gentes eas quæ Heniochi dicuntur. Item Sceptuchos, Choanos, Assyrios, Polyphagos, Abianos, Siracos, Tapyros. Meminit Iasonis, & Medæ, & urbium quas condiderunt, meminit etiam Xerxis, Mithridatis, & Alexandri eius qui ex Philippo natus est.

STRABONIS
GEOGRAPHICORVM
LIBER VNDECIMVS.



EUROPAE continua est Asia, ad Tanaim flumen illi coniuncta, de qua deinceps dicemus, & euidentiae gratia naturalibus quibusdam terminis loca omnia † destinabimus. Quod itaq; Eratosthenes fecit in toto terrarū orbe, idem nobis in Asia faciendum est. Nam Taurus mediam quodammodo continentem hanc diuidit ab oriente in occidentem, cuius partem ad aquilonem relinquit, partem ad meridiem. Alteram Græci interiorem uocant, alteram ex-

Asia termini.

* distingue
mus pot. Asia
notas.

Taurus mons.

teriore. Quæ & si à nobis ante dicta sunt, memoriae tamen gratia, repetantur. Mons hic multis in locis latitudinem habet stadiorum trium millium, longitudinem quantum Asia stad. circiter XL. & quinque millia, à transmarina Rhodi ora usque ad Indiæ ac Scythiæ extrema orientem uersus. Idem in nomina ac partes multas diuiditur, quarum aliæ maiores, aliæ minores ambitus comprehendunt. Sed quoniam in tanta montis latitudine gentes quædam continentur, aliæ obscuriores, aliæ omnino notæ, ut Parthi, Medi, Armenij, & Cappadocum quidam, præterea Cilices & Pisidæ. Quicumque ad borealem plagam declinant, in borealibus ponendi sunt, quicumque ad australem, in australibus. Qui in medio montium iacent, n̄ propter aëris similitudinem ad boream sunt collocandi. nam frigidi sunt, australes uero calidi. Porrò flumina quæ hinc decurrunt omnia ferè in contrarias labuntur partes, alia in boreales, alia in australes, & si nonnulla postea ad orientem uel occidentem conuertantur. Et natura fert, ut montes eos pro confinibus habeant, quibus Asiam diximus in partes duas diuisam, quemadmodum mare quod intra columnas est, quod cum maxima ex parte è directo sit ijs montibus duas efficit continentes, Europam atque Aphricam, quarum id aptissimū quoddam confinium est. Sed quoniam ijs qui ab Europa in Asiam transeunt, borealia ex Asiæ diuisione prima sunt in geographia, ab ijs incipiendum est. Horū autem ipsorum prima sunt quæ Tanaidi adiacent, quem nos Europæ atq; Asiæ limitem posuimus. Hæc quasi peninsulā quandā efficiunt, quæ ab occidente Tanaide flumine, ac Mæotide ambitur, usq; in Bosphorum & maritimam Euxini oram, quæ ad Colchos defunt à septentrione oceano usq; ad Caspij maris os. Ab oriente, hoc

Asia partes.

Tanaïd flu.